

Clemens Papa VIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

CUM sacrorum Bibliorum vulgatae editionis textus summis laboribus ac vigiliis restitutus, et quam accuratissime mendis expurgatus, benedicente Domino, ex nostra typographia Vaticana in lucem prodeat; Nos, ut in posterum idem textus incorruptus, ut decet, conservetur, opportune providere volentes, auctoritate Apostolica, tenore praesentium districtius inhibemus, ne intra decem annos a data praesentium numerandos, tam citra, quam ultra montes, alibi quam in nostra Vaticana typographia, a quoquam imprimitur. Elapso autem praefato decennio, eam cautionem adhiberi praecepimus, ut nemo hanc sanctorum Scripturarum editionem typis mandare presumat, nisi habito prius exemplari in typographia Vaticana excuso : cujus exemplaris forma, ne minima quidem particula de textu mutata, addita, vel ab eo detracta, nisi aliquod occurrat, quod typographicæ incuriae manifeste adscribendum sit, inviolabiliter obseretur. Si quis vero typographus in quibuscumque regnis, civitatibus, provinciis, et locis tam nostræ et S. R. E. ditioni in temporalibus subiectis, quam non subiectis, hanc eamdem sacrarum Scripturarum editionem intra decennium predictum quoquomodo, elapso autem decennio, aliter quam juxta hujusmodi exemplar, ut praefertur, imprimere, vendere, venales habere, aut alias edere vel evulgare; aut si quis bibliopola a se vel ab aliis quibusvis, post datum praesentium, hujus editionis impressos libros, seu imprimendos a praefato restituto et correcto textu in aliquo discrepantes, seu ab alio, quam a typographo Vaticano, intra decennium excusos, pariter vendere, venales proponere, vel evulgare praesumpserit,

ultra amissionem omnium librorum, et alias arbitrio nostro infligendas poenas temporales, etiam majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurrat : a qua nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolví non possit. Mandamus itaque universis et singulis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque ecclesiarum et locorum etiam regularium Praelatis, ut praesentes litteras in suis quisque ecclesiis et jurisdictionibus ab omnibus inviolate perpetuo observari current ac faciant. Contradictores per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis : non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac in generalibus, provincialibus, vel synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, ac quarumcumque ecclesiarum, ordinum, congregationum, collegiorum atque universitatum, etiam studiorum generalium juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, ac privilegiis, indultis, ac litteris Apostolicis in contrarium quomodocumque emanatis et emanandis : quibus omnibus ad hunc effectum latissime derogamus, ac derogatum esse decernimus. Volumus autem ut praesentium transsumptis etiam in ipsis voluminibus impressis eadem, in judicio et extra, fides ubique adhibeatur, quæ ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die IX. Novembris MDXCII, pontificatus nostri anno I.

M. Testrius Barbianus.